

Alicis, & medietas dicti podii deversus Alicem sit territorii Alicis, & alia medietas deversus Aquis sit territorii Aquis . . . & in descensu dicti podii usque ad locum, qui dicitur in costa de Chodario, usque ad locum termini infra scripti quidquid est a parte sinistra deversus aliam sicut . . . decurrit aqua . . . fit de posse Alicis &c. Deinde posuimus alium terminum . . . in loco, qui dicitur costa de Caudano intra vallem dictam de Casali, & costam dictam Castagnete, & respicit quemdam alium terminum jamdiu existentem antiquum . . . in loco, qui dicitur in collo vallis Casalis, & Castagnete prope nucem Gamalarii, que nux est a parte sinistra dicti termini versus aliam quasi per trabucos octo, vel decem, vel circa, cujus termini vires . . . sunt: quidquid territorii est a manu dextera sint . . . de territorio Aquis &c.

Deinde posuimus in dicto loco vallis Casalis terminum, de quo supra proxime . . . & 20 a dicto loco dicti termini per quemdam senterium eundo per Serram, que est intra vallem de Castagneta, & vallem Casalis usque ad locum, qui dicitur in capite vallis Mosne, quidquid est . . . versus Alicem sit . . . Alicis &c.

Postea in dicto loco inter vallem Mosne, & boschum communis Aquis, qui dicitur Scuazolus posuimus . . . terminum in capite Castagneti illorum de Alice, qui respicit quemdam alium terminum prope per nos positum . . . descendendo inferius juxta quemdam parvum vialem, & ad istum terminum ultimum ex toto terminatum sit territorium Alicis, ut ultra non se extendat, & veniendo inferius quasi in fine Castagneti illorum de Alice . . . quidam rivulus . . . Mosne sit terminus predictorum, quia quid est nemoris . . . a dicto rivolo versus Aquis sit de territorio Aquis, & quidquid est deversus Alicem sit Alicis usque in rivum Merii, ubi finitur dictus rivulus, & ibi sit determinatum territorium Alicis ab illa parte rivi Merii; ita quidquid est a parte dextera dicti rivi Merii veniendo versus Aquis sit territorii Aquis. Item viso instrumento producto per illos de Alice coram nobis faciente mentionem de costa de Cuneo, & de Campo D. Marchionis, que sunt juxta rivum Merii inter civitatem Aquis, & loci Alicis pronunciamus quod . . . habeat firmitatem.

Item dicimus, quod de bannis Campestribus fiat punitio, & exactio secundum ordinem, quo fit . . . inter commune Aquis, & Septebrii exigendo dicta banna secundum capitula facta inter dictum commune Aquis, & Septebrii.

Et hec presente Savio Bauducio de Fontanili, Ottono de la Porta, & Marchione Gulielmo Bellerato de Aquis Syndicis . . . Aquis, & presente Johanne Leone, & Gulielmo Parano de Alice Syndicis . . . de Alice.

Ego Roglerius de Catassis publicus Papiensis Notarius &c.

*Donatio inter viros Ludovici M. Ponzoni quibusdam de Ponzono. Ex Tabul. Monast. S. M. Aquen.*

76

MCCCLVX.

In nomine Domini. Amen. Anno ejusdem millesimo tercentesimo sexagesimo quinto die primo januarii actum in burgo Punzoni presentibus &c. D. Ludovicus Marchio de Punzono sua propria voluntate, & ex certa scientia propter multa servicia, que in preterito habuit, & in futurum sperat habere a Manfredo, & Mario de Punzono fecit . . . donationem . . . inter vivos dicto Manfredo per se, & suis heredibus secundum usancias Punzoni de quadam petia terre laborative, & zerbe cum domo . . . in posse Punzoni in loco ubi dicitur Cerree &c.

Ego Rosfredus de Rosfredis de Meladio Imper. auct. Not. &c.

*Locatio vectigalium civitatis Aquen. ad faciendam pecuniam pro emtione civit. Albe ex precepto March. Montisferati. Ex Arch. Civit.*

MCCCLXX.

77

Anno Domini millesimo tercentesimo septuagesimo indictione octava die undecima martii. In civitate Aquis in palatio communis in pleno, & generali Concilio civitatis &c. Nobilis vir Dominus Johannes Cavazonus de Ast Potestas civitatis Aquis ad instantiam &c. dicti Concilii . . . nemine discrepante . . . pro bono, & utilitate, & evidenti causa dicti communis pro imminentissima, & necessaria causa . . . solvendi florenos L. auri pro emtione Albe precepto illustris Principis, & D. D. Johannis Marchionis Montisferati Imperialis Vicarius, cum non esset penes Gulielmum Ainardum de Aquis Clavarium &c., nec in apotheca, seu camera dicti communis, unde pecuniam . . . solvendi dictos florenos L., & cum non esset . . . ad vendendum aliquid aliud cum minori incommoditate, quam tota beccaria . . . facta pluries subhastatione dicte totius beccarie . . . Gulielmus Bicutus de Aquis . . . & Franciscus Gripecli de Aquis obtulerunt se daturos pro redditibus dicte Beccarice lib. L. Januenses. Ecce quod dictus Potestas de consensu Consiliariorum &c. unanimiter &c. tradidit domino Gulielmo, & socio &c. hinc ad diem XIII. madii usque ad duos annos proxime venientes totam beccariam &c. pactis, & conventionibus infra scriptis. Primo videlicet quod aliqua persona de Aquis, seu aliunde non audeat &c. interficere &c. aliquas carnes &c. nisi palam, & cum scitu dictorum emptorum. Item super facto inflandi bestias, quod . . . additio facta super Capitulo civitatis Aquis, quod inc. *Caveant Beccarii* teneat in omnibus. Item quod quilibet vendens &c. carnes &c. debeat &c. solvere dictis emptoribus &c. de qualibet bestia bovina sol. VII. Januenses. Item de quolibet porco, seu porca sol. II. Januenses. Item